Michaël Mexelburg.

DISPUTATIO SOLLENNIS

Quam
Ita exigentibus Statutis
cum Consensu
MAGNIFICI DN: RECTORIS Amplissimiq; Academiæ Senatus

DE

MORBO HÆREDITARIO

Pro
Loco Tertio Professionis Medicæ
Ordinarie Suscipiendo in publicum producit.

JOHANNES BARTHOLOMÆUS CRÜGER Medic: Lic: Facult: Adjunctus.

Respondente
JOHANNE DIPELIO, HERVORDIA WESTPHALO.

In Auditorio Majori
d. 30. Maij horis antè & pomeridianis

REGIOMONTI
Typis LAURENTII SEGEBADII
ANNO 1636.

VIRIS

MAGNIFICIS, GENEROSO AC NOBILISSIMO GENERE CONSPICVIS

Serenissimi Electoris Brandenburgici consiliarijs supremis Prussiæ Ducatûs Regentibus, meritissimis

Domino ANDREÆ à Kreitzen
Supremo Præsidi

Dn: IOHANNI EBERHARDO à Tettaw
Burggrabio

Dn: IOHANNI GEORGIO à Saucken
Cancellario

Dn: AHASVERO à Brand
Archimarschallo

Dominis, ac magnis Mecenatibus, Promotoribusq; suis exiguo hocce testimonio observantiam ac debitum cultum demonstrare voluit

Johannes Bartholomæus Crüger
Med: Lic:

IN NOMINE CRVCIFIXI

THESIS I.

MOrbus hæreditarius est dispositio lædens actionem, cum semine parentum certo aliquo charactere signato mediantibus scil: spiritibus, in liberos propagatus, quo instrumento natura utitur ut natos parentibus gignat similes.

2.

Morbum suo modo posse dici Ens, neq; simplicem Saltem privationem, extra dubium esse puto. Nam 1. est in certo prædicamento, nim: qualitatis. 2. Est â suis causis positivis in actum deducendus, â quibus etiam fovetur 3. Habet suas differentias, Privationis autem simplicis nulla est differentia, quòd impossibile sit, ut species ejus sit, quod non est Docente *Aristot: l. 1. de part: anim: c. 3.*

3.

Hinc etiam morbus habet bonitatem transcendentalem seu metaphysicam, quat: ens est: Imprimis si ratione causæ intueamur. Nam calidum, frigidum &c. habent formam, suas operationes, suamq; adeò bonitatem, & exsuperantia qualitatum bonitatem illam essentialem tollere non potest; imò illæ qualitates agunt propter finem ut sibi simile reddant patiens. Sed & in quibusdam ejusdem gradûs qualitas sanitatis, in alijs morbi causa esse potest. Idq; non solùm in primis qualitatibus, sed & reliquis, quia omnia dicenda ad aliquid, prout accuratè probat *Galenus l. 1. de simpl: med: Fac: c. 6. c 18. 19.* & alibi.

4.

Hæc ideo probata dedimus, ne forsan dum morbi seminia statuimus, nim: spiritûs charactere signatos, ut posteà explicabimus, mali substantiam quandam statuere videamur. Interdum n. etiam cum substantiâ denominatur morbus. Sic *Galenus* περὶ διαφορᾶς τῶν νοσημάτων: κατὰ δὲ τὸν ἀριθμὸν, inquit τῶν ἁπλῶν μορίων, ἐξ ὧν ἕκαστον τῶν μορίων συνίσταται, διτταὶ μὲν αἱ πρῶται διαφοραὶ τῶν νοσημάτων γενήσονται, ἐλλείποντός τινος μέρους, ἢ περιττεύοντος, hujus exemplum affert, ἕκτος δάκτυλος, ἐν ὀφθαλμῷ πτερύγιον. Ibi Sanè non substantia est ipse morbus, sed dispositio lædens actionem ob substantiæ præsentiam.

5.

Equidem hîc dubitare quis posset, an morbus quatenus distingvitur â causa, & symptomate, sit ens aliquod reale, nim: quia lædit actionem, actio a. læsa est privatio actionis perfectæ? At hîc accurate distingvendum inter prædicatum abstractum & concretum, quod inculcat *Aristoteles categ. c. d. contrariis*, ubi inquit: *Privari autem re, & habere rem, non idem est quod privatio & habitus, quoniam habitus est aspectus, privatio cæcitas. Nec habere oculos, est ipse aspectus, nec cæcum esse ipsa cæcitas. Nam privatio quædam est cæcitas, at cæcum esse, est privatum esse, non privatio.*

6.

Cum probatissimis igitur Medicis statuimus *morbum* esse in Prædicamento qualitatis, adeoq; etiam morbo hæreditario *dispositionem Genus* assignavimus. Ibi statim alia se nobis offert controversia: *an nim: potius ad habitum, quam ad dispositionem sit referendus?* Ansam præbere videtur *Mercà-*

tus de morb: Hæred: tract: p. 672. ubi scribit: Habent Hæreditarij affectûs id proprium, & peculiare quod etiamsi ex alijs morbis quidam sunt in habitu, & reliqui in dispositione, hi v. semper sunt in habitu, & fixione adeò permanente ut ipsa sanitas.

7.

Ad v. facilis est conciliatio 1. Explicando vocem διαθέσεως ejusq; acceptionem. 2. Distingvendo inter actum primum & secundum. Notum est διάθεσιν sumi vel simpliciter, vel respectivè. Simpliciter accepta saltem denotat istam dispositionem, qua aliquid disponitur ad bonum, vel malum, quâ ratione *Aristot: 4. metaph: c. 20,* Habitum ipsum dispositionem dicit vide *Daniel: Sennert: l. 2. Instit: p. 1. c. 2 p. m. 140.* Respectivè ad habitum Medicis non accipitur nisi forsã σχετικὸς ἑκτικῷ opponitur morbo. Deinde notum est, Medicos esse philosophos sensuales, adeôq; morbum determinare ab actu secundo, & ab existentiâ. Hinc in habitu potest hic esse morbus, non habitus; vel si habitus, ratione actûs primi, non secundi.

8.

Benè monet *Capivaccius l. 2. Pract: c. 1.* quum morbi natura consistat in eo, ut ejus ratione lædatur operatio, ea etiam, quæ ad operationem necessaria sunt, hic esse attendenda, nim: Facultatem, quæ concurrit VT QVO. Alterum suppositum, quod concurrit VT QVOD. Tertium instrumentum, quod gratia operationis concurrit CVM QVO. Ideoq; in hoc morbo ea etiam examinanda. *Spiritûs* in quibus ab ortu character impressus, quod posteâ monstrabimus, *in concreto*, quippe immediatum

 sunt

sunt Facultatis organon, *pro Facultate* accipiemus *Suppositum* ponimus *fœtum. Instrumentum* ponimus *id membrum quod hæreditario vitio laborat.*

9.

In semine existere characterem illum morbi traducem, nulla est controversia, ideoq; diximus in definitione: Cum semine parentum certo charactere signato. Semen autem habet partes duas, ut loqui videtur *Aristoteles de gener: anim: l. 2 c. 2. nim:* spiritum, & aquam. Et spiritum esse partem principem nemo negat, hinc antiqui, DEam q. rei venereæ præest, ab ea facultate, quia spumosum semen est, nominarunt, inquit ibid: *Aristot.*

10.

Spirituosum, ut in alijs ita etiam in hoc traduce primas sibi vendicare statuimus. 1. *quia mediante spirituosa substantia semen est id, quod est* quamprimum enim semen aëri expositum liquescit, infœcundum redditur Hinc impossibile est ut semen virile in balneo emissum ab utero materno attrahatur, ac prolificum fiat, ut benè monet *Andreas Laurent: contra Averroem oper: anat. controvers: 23.* Vt ergo se habet actus generationis, ita & traductionis, quod ulterius probatur 2 *Vbi est virtus formatrix, ibi etiam characteris traductio.* Ratio consequentiæ est, quia vis πλαστικὴ imprimit materiæ figuram & formam. Atqui in spiritibus est E 3. *semen est* ἀπόσπασμα *ex toto corpore non ratione materiæ corporeæ crassæ. id n. dudum invictissimis argumentis improbavit Aristoteles de generat: anim: l. 1. c. 18 & c. 21. Ergo ratione spirituum*, ex quorum defectu Scythæ sectis post aures Venis infœcundi redditi sunt, ut docet *Hippocr: l. de aere, aq. & loc;* plura argumenta omittimus.

11. Huic

11.

Huic nostræ sententiæ verò suffragium ferre videtur, exemplum eorum quibus pars aliqua amputata est, ubi sæpius imaginatio ita vitiatur, ut credant partem non esse amputatam. Ratio istius hæc est: quandoquidem spiritus sensificus per nervos fluens, sensum istum istius partis amputatæ, in quam influere solitus erat, repræsentat, sed quia ulterius progredi non licet, â trunco ad sensum communem reflectitur, fitqꝫ ibi falsa imaginatio, ut doctè differit *Guilhelm: Fabr: Hildanus cent: 3. obs: 15.*

12.

Jam si hoc potest procedere in spiritibus influentibus, multô magis locum habebit in spiritibus insitis, qui istis sustentantur. Sicut enim spiritus influentes determinantur ad conditionem spirituum insitorum, ut eos foveant: Ita spiritus insiti proportionati sunt proximè ad partis, cujus calidum nativum ingrediuntur, συμμετρίαν. Ipsa namqꝫ natura indigitat spiritus hos insitos multis influentibus sustentari, dum duas arterias umbilicales, unam saltem venam efficit.

13.

Facit pro hac nostra sententia etiam Autoritas. *Ludovicus Mercatus de morbis hered:* Similis, inquit, delineatio ob calorem & spiritum in semine implantatum, qui cum instrumentum sit formativæ facultatis, informatus structuræ parentis similem (nî præpediatur) delineabit in genito. *Hercules Saxon: Pract: Med: l. 4. c. 30.* Ex membris præcipuis fluit ad testes vasaqꝫ seminaria, spiritus animalis, vitalis, naturalis. Item Ad imprimendum imaginem fœtu jam facto, necessarium est primùm imprimi in spiritum, secundo in sangvinem, qui accedit ad nutritionem fœtus,

14. Si

Si nimirum character quidam inhæreat in spiritu, is ei etiam parti communicabitur, cujus spiritus eo inquinamento est contaminatus: Et prout character se habet, pro eo etiam morbus parti communicabitur. Jam igitur de characteris naturâ aliquid dicendum erit.

15.

Spiritûs characterem seu inquinamentum quoddam contrahere posse extra conversiam est: Sic etiam id patet de insitis, Ita dicit *Clariß: Sennertus*, in melancholia spiritus melancholicos ie. obscuros, opacos, & tenebricosos fieri *l. 1, Prax: part: 2, c.* 8. id quod ipse seq: p. Explicat, Scil: quod firma, fixa ac impressa imago spiritibus cerebri insitis sit proxima causa melancholiæ. Hoc si fieri potest; Sanè etiam aliud vitium in spiritibus seminis insitis esse poterit.

16.

Variè id ab Autoribus nominatur. *Mercatus* modo *characterem*, modo *sigillum*, modo *sigillationem. Hercul: Saxon: pract: Med: l. 4. c. 30. Imaginem* quandam statuere videtur. *Paracelsus seminium*, *Severinus tincturam*, alij forsan aliter indigant,

17.

Quivis nominet pro libitu: nobis certum est, characterem illum quatenus malus est, non esse substantiam, vehiculum tamen & subjectum ex substantiæ serie non esse excludendum, quippe simile ferè quid accidere videmus in seminibus pestilentialibus, de quibus consuli possunt *Fel: Plat: Fernel; de abd: rer: caus: Sennertus de febr:* & alij. Alias tincturam & seminium malum si simpliciter pro substantia acciperentur refutantur â *Daniele Sennerto de cons: & dissens; c. 16, ex Augustino l. 5, Confeß: c. 10.*

Characteris appellationem melioris doctrinæ gratia retinebimus. Atq; ut res dilucidius proponatur, *eum characterem statuemus duplicem* nim: *simplicem*, *ac cum certa dispositione seminij* E. G. Spiritus, ut instrumentum est formativæ facultatis, in se expressam habet ideam membrorum conformandorum, & ita singuli membri spiritus proprius ad ejus compositionem tendit, is si habeat in se characterem membri non recte formati in parente, vel abundantis vel non rectè compositi, istum etiam characterem transfundet in foetum. Si jam huic characteri suo modo perfecto alius tamen character apponatur q. extrinsecus adveniens, E.G. quando Renibus satis formatis vis λιθοποιητικὴ, pulmonibus seminium phthiseos, sangvini totiq; corpori inquinamentum luis venereæ imprimatur tum aliud superveniens *character characteris* melioris distinctionis gratia appellabitur.

19.

Hic duæ jucundissimæ occurrere poterunt quæstiones 1. *Cur morbi hæreditarij in prima ætate non statim semper appareant?* 2. *Cur quandoq; non deriventur in prolem sed in nepotes?* exemplum affert *Aristot: de generat: anim: l. 1. c. 18.* quod analogia quadam ad morbos traduci potest. Ælide, inquit, quæ cum æthiope concubuerat, non filiam forma æthiopis peperit, sed natus ex filia erat æthiops. Sic sæpè accidit ut podagricus, filiam vel filium habeat non podagricum, nepos v. ejusdem fit obnoxius.

20.

Quoad primũ; fieri id posse videtur vel ratione *impressionis* vel ratione *expansionis*. Interdum evenit

ut feminium parentis fit charactere pravo infignitum, accedat v. femen & fangvis matris quæ fint benigna, ibi omninò impreſsio tam fortis fieri non poteſt, ſed pro dominio accedentis occultatur ac quodammodo debilitatur ejus *ἐνέργεια*. Ratione expanſionis etiamnum reſiſtere poterit balſamus naturalis fortior, ne ſtatim character ſibi vires ſumat eundo.

21.

Vbi ſanè ſingularis *humorum diſpoſitio* conſiderandaeſt, imò & *aptitudo ſubjecti ad ſuſcipiendũmorbi paroxyſmum*. Sic epilepſiæ & arthridis imò & apoplexiæ character in natos eodem traducis modo propagatur, illa utplurimùm in prima ſtatim ætate ſe exſerit. Arthritis non facile prius quam venerem expertus ſit, ut loquitur *Hippocr: aphor:30.l. 6.* Apoplexia maximè â quadrageſimo anno ad ſexageſimum *docente eodem aphor: 57. ejusdem ſect:*

22.

Humores naturales ac temperamenti bonitatem multum hìc facere certum eſſe putamus, nam quum ad ſingulum agens requiratur ad patientem & analogia & contrarietas ſi actio fieri debeat, omnino ex temperamenti, ratione prædominantis Paternæ vel maternæ bonitatis, improportionata ad characterem iſtum, harmonia non ita facile ſerpere ac ſibi ſimile reddere patiens poterit. *Mercatus* humores quoq; excrementitios aliquid conferre poſſe ſtatuere videtur, quod q. obfuſcent characterem, hinc in traductione impedienda purgationes ſudores, improbat, quod qua ratione accipiendum peſtrà dicemus.

23. Alteram

23.

Alteram quæstionem quòd concernit, ex modo dictis maximam partem elucescit, nim: parentum semina diversa, diversum, quoque posse facere effectum. Addi tamen possunt & alia. Nim: *Vitium illud non semper ita esse radicatum sed saltem in humoribus versari* interim debilitatem membri alicujus nihil ominus propagari, hinc in correctione humorum in filio non fieri decubitum, qui tamen non correctis ijs ad imbecilles articulos statim tendit in nepotibus. Si vero pars sigillationem suam habeat in modo substantiæ fixam, vix ita in filijs totaliter obscurari poterit. Accedere poterit *educatio & consvetudo*. Sic vitium aliquod consvetudine in filio supprimi potest, quod non accurata habitâ ejus ratione in nepotibus iterum elucere poterit, quod in vitijs conformationis observare est. *Interdum etiam vitium quod antea saltem leviter idolum sangvini impresserat, radicale evadit, qua* ratione nonnunquam vitia consvetudinis in hæreditaria abire consveverunt. *Forsan et. aliquid faciet constellatio.*

24.

Quodsi jam secundùm causas, definitionem nostram examinare libeat, conspicuum est, quod morbus, quia accidens est, non tam habeat *materiam ex qua*, quàm *in qua*: eam statuimus *spirituosam seminis substantiam*, eam seminium & tincturam quandam referre non absurde diximus, ita namque invicem uniuntur ut character ille ipsis ferè naturalis videatur, ut sanitas ipsa.

25.

Forma rationem obtinere poterit determinatũ illud indicibile principium quo disponuntur membra viventia ad actionem peculiariter Læsam vel lædendam

Efficiens est proxima Imago seu character qui disponit & qui in spiritibus impressus per traducem foetui communicatur. Remota causa est Idea in parentis membro, quæ semini communicatur. *Adjuvans causa in morbis contagiosis potest esse conversatio cum ijs qui simili labe aspersi sunt: in alijs morbis inordinati motûs, item Venus; animi affectus &c.*

27.

Finis ratione subjecti, nim: perfectionis hominis, planè nullus est quum non sit perfectio sed destructio potuis, interim ratione efficientis est, *ut fiat aßimilatio agentis ad patiens*, nam causa activa conatur sibi simile reddere patiens, scil: quæ principium actionis in se habet. Natura verò illud semper sibi habet propositum, ut ad eam quam materia recipere apta est perfectionem deducat, ideoq; hunc etiam conatum, qui jam ingenitus ac huic individuo quasi naturalis, non impedit.

28.

Jam ergo ad divisionem morborum hæreditariorum. Morbi illi ut alij omnes sese exserunt vel in corpore *qua mixtum*, vel *qua organon* vel deniq; *utroq; respectu*, quam differentiam morborum Medici dicunt essentialem. Cæterum considerari etiam poterunt *ratione invasionis & terminationis*, unde aliqui *acuti* alij *lenti* dicuntur. Vel ratione contaminationis, unde alij *contagiosi* dicuntur, alij *sine contagio. &c.*

29.

Qui sine contagio sunt habent *characterem vel simplicem* cujusmodi sunt morbi externi in *excessu vel defectu* scil: *in numero, magnitudine, figura, situ* vel

characterem characteris nim: impressam quandam morbi ut ita dicam, materiam seu tincturam h. e. *spiritus cateroqui ideâ ratione conformationis membri perfectos: impragnatos tamen vel charactere intemperiei, vel vitij qualitatis alius*; hinc alicui â natura hepar calidum contingit, sic aër in aure innatus non ita purus est, lucidum in oculo quibusdam non ita limpidum: Sic ventriculus â primo ortu ita vitiatus est ut humores, non bene concoquendo, non recte etiam segreget, vel componat, vel archeum concretionis, qui in cibis est non satis dissipet. Hepar ῥοπὴν peculiarẽ adjuvat. Sic membra quædam debilia naturæ sigillum etiam habent peculiare, quo E. G. λιθοποιητικὴν promovent.

30.

Hinc videmus eos qui eodem utuntur cibo & potu, ijsdemq; laboribus ac vitæ genere eodem, alios sanos existere, alios calculo, podagra infestari. Sæpè quoq; accidit ut aliquis character delitescens fermenti modo inquinet humorem vel vaporem aliquem peculiariter, ut ad certum membrum sua sponte tendat ac insultum excitet E. G. Epilepticum.

31.

Signa morborum hæreditariorum etiam num perspicienda, & *diagnostica* & *prognostica*. Illa non usq; adeò indaganda videntur quum *ex duplici fonte haberi poßint*, nim: ex *ipso parente* tum etiam ex *ipsis circumstantijs in nato*. Interim ex parentis constitutione id emergit, ut semper præcautione opus esse sciamus ne in similem filius affectum inclinet cujuscunq; sit conditionis morbus, qui propagari solet.

Prognostica signa quod concernit. *Arnaldus Villanovanus parab: Med: c.19.aphor 18.* Hæreditariæ, inquit passiones inextirpabilis sunt radicis, & sufficit ne pullulent in deterius, convenienti regimine prohibere. Interim in *explicatione ejusdem aphorismi* Sicut, inquit Podagricus generat filium, & talis filius efficitur podagricus post triginta vel quadraginta annos. Talis podagra est morbus hæreditarius, quia in semine hæreditabit; quia semen emanabit â membris podagram patientibus, quia talis filius dispositus est ad patiendum podagram facillimè. Sed tamen quod necessariò incurrat podagram non est credendum, & si incurrat, quod necessariò talis podagra sit inextirpabilis, absit! Sed tamen majori cum difficultate extirpatur, quam si non fuisset podagricus,

33.

Reinerus Solenander consil: Med. cons: 11. Ab hujusmodi, scil: morb: hæreditar: aliquo qualicunque morbo, nemo est qui se perfectè liberarè possit, licet diligentia ac accurata vivendi ratione tantum possit quisque consequi, ut & in publicis & in privatis negotijs superesse & satisfacere possit. Quanquam ergo totalis morbi profligatio & eradicatio promitti vix possit, tentanda tamen ea sunt, quæ possibilia,

34.

In ipso verò curationis limine attendendum quod habet *Galenus l. 2. m. m. c. 6.* quod vel ad vires, vel ad causam, vel ad affectum vel ad id quod per sanitatem semper est observatum, referri judicium oporteat. Ex quo forsan fundamento *Mercatus*

tract:

tract: de morb: hæred: hanc efficit conclusionem,
morbos hæreditarios alios simpliciter esse incurabi-
les, alios curabiles, alios partim curabiles partim
incurabiles. Nim: ij qui per sanitatem semper ob-
servantur, sunt incurabiles. E. G. hepar ab ortu
calidius. & ij ita tractandi sunt ut habet *Galenus*
meth: med: l. 7. c. 13. ubi Quæcunque, inquit, calidio-
res sunt natura partes si ex frigore laborent, hæ li-
beralius ac diutius calefieri postulant: Contrà quæ
calidior naturâ est pars, si calido morbo laborat,
exigua brevisque temporis refrieratione indiget.
Vide etiam *Danielem Sennertum Instit: lib: 4. part. 2.*
c. 6. Ubi q. explicare hunc locum videtur.

35.

Ad causam & affectum refertur judicium hoc
modo. Vt si causa hæreat in membro quodam prin-
cipe, affectus tamen potissimum communicetur
massæ sangvineæ, tùm fit morbus partim curabilis,
partim incurabilis; si verò character & radices
saltem stabulentur in sangvine & humoribus, tum
plane est curabilis.

36.

Exemplum insigne adfert *Mercatus sapè c. l.*
Si, inquit, Pater gallico charactere insignitum ha-
bet jecur, jecur quoque filij eodem insignitur, & ta-
les filij ad tempus curantur, cæterùm paulo post
iterum relabuntur in unam aut alteram ex gallicis
affectionibus: At si Gallica affectione in matre filius
hæreditarium onus portaverit ut majori ex parte
ex alimento intra uterum matris suscepto affectio
prodit, ita extra uterum alimentis, maximè alexi-
pharmacis, illius affectionis modus substantiæ eâ
labe infectus emendari potest.

37. Cura-

37.

Curatio verò institui potest vel ratione *subjecti patientis*, vel ratione *posterorum*; quæ ratione jam dictarum differentiarum varianda, ita ut observentur indicationes & fontes. *Præservatoria Indicatio* vel *in ipso fœtu administratur*; vel *in parentibus* vel, quod non incommode addendum videtur, etiam *in nutricibus*.

38.

Ratione *Indicationis præservatoriæ* quæ instituitur *in parentibus*, usitati quoque observantur fontes Medici. Quoniam v. Medici Intentio hac in parte est præcavere ne labes traducatur, fontem etiam peculiarem addere licebit, qui ex physico-politica desumptus, *copulam maris ac fœminæ indigitat, nimirum fontem connubij*.

39.

Mercatus equidem usitatos illos fontes, *pharmaceuticum & chirurgicum* excludere videtur dum inquit: Nil vulgatius apud Medicos, non mediocris eruditionis, reperies quam Medicamentis alijsquè artis auxilijs corpus mundum & evacuatum reddere, quod sane opus potius turbare corpus natum existit, & periculo plenum. Rationem paulo pôst affert, quia character & sigillationes innatæ non magis, medicamentis & artis auxilijs cedent quàm quæ nobis secundum naturam existunt.

40.

Imò illud præsupponit *Mercatus*, quo puriora sunt corpora, & ab excrementis, seu exspurcitia humorum libera, quod eo certius sibi similem parens generabit fœtum. contrâ si corpus charactere affectum humoribus sibi alienis & excrementis

abunda-

abundaverit, quod tantò magis dissimilem generaturus sit prolem; quia ibi nihil est quod turbet facultatem formativam, ne materiam vitiet, quo minus similis producatur fœtus. Hîc a. sunt honores.

41.

In totum tamen illud concedere vix possumus. Nimirum illud facile Largimur, characterem purgantibus tolli minimè posse, quippe, qua tali, non opponitur purgatio. Interim certum est, etiam vitiosos humores facillime speciem quandam istius sigilli suscipere, atq; in ijs actum secundum procumpere.

42.

Jam quum, ut ait *Aristot: de gen: anim: l.1.c.18.* non solum semen sit quod exit in generatione, sed etiam aliæ permistæ facultates cum eo secedant quæ insalubres sunt. Omnino etiam ex Serosi humoris comunicata specie ex charactere naturali suscepta, malum magis communicari poterit, imprimis cum videamus, quod vena spermatica emulgenti sinistri Lateris inseratur. Datur a. cujusvis humoris serum. Hinc duplex existere poterit operandi principium, nim: 1. character in spirituosa seminis substantia, ac 2. species seu, ut loquitur *Aristot:* Facultas communicata humori excrementitio.

43.

Ipse quoq; *Mercatus* concedit, eos morbos qui characterem habent in humoribus impressum, licet difficulter curentur propter reversiones & defluxiones quæ in varias partes transferunt, curabiles tamen esse, nam & evacuationes & renutritionem admittit.

Cæterum illud quoq; non inficiamur, purgantia non debere esse fortiora, nimisve violenta, quæ scilicet toti massæ sangvineæ malum facilius communicare poterunt, ac sopitum q. excitare, sed vel eccoprotica, vel leniter purgantia, admistis semper ijs quæ membrum, cujus vitium metuitur, confortant, ac peculiariter malo vires infringere nata sunt. *Ex fonte chirurgico* Venam quoq; in corpore plethorico, ubi natura sangvinem regere non potest, ut secundum *Hippocrat: 3. aphor: l. 1.* nihil sit reliquum, quàm ut in deterius Labatur, si quis aperuerit, non malè nostro quidem judicio fecerit, & quidem aperietur vena potissimum in parte corporis superiore ne μίασμα cum sangvine ad uterum & testes derivetur.

45.

Interim *fons diateticus* ea subministrabit, quæ ebullitioni istius inquinamẽti obviam ire poterũt, & quidem in contrarium quantum fieri potest, inclinandum, ut tametsi ipsum characterem ex membro affecto plane tollere nequeamus sangvinem tamen & spiritus ita disponamus ne ita prompte character iste ipsis, ut ita loquar, habitualiter imprimatur, atq; ita contrarietate ista præcaveatur ne sibi similem parens edat fœtum

46.

Quartum fontem addidimus, non ut novum quiddam in Medicinam introduceremus sed ut præservationem melius declararemus. Observanda igitur hac in re 1. Quod *nunquam*, ut loquitur *Mercatus*, *connubio jungi debent duo parentes ex eadem vitiosa*

familia

familia descendentes. 2. quod *talis* sit *ducenda uxor, quæ temperie omnibusq; qualitatibus sit viro contraria.* 3. Nobis addendum videtur *uxor temperamento sibi proprio non sit cacochymico* ne labes illa facilius in fomitem recipiatur. 4. *Conjunctio maris & fœminæ nō instituatur cum effræni aliquo* ὀργασμῷ. nam ista comotio totam mali mineram movet, adeoq; fœtui communicat, hinc *Hippocr:* Puer podagra non laborat ante veneris usum, & *Avicennas* actum venereum despumationem indigitare videtur. 5. *Tempus ac astrorum influxus* attendendus, ne eo conceptio fiat tempore, quod affectum talem vel talem inducere astrologi prædicunt E. G. ij qui in interlunijs concipiuntur & , eduntur, dicuntur fieri epileptici, 6. *Tempus morbi*; Eo tempore vix tentanda Venus ubi morbus parentem affligit, ut in morbo gallico, Scabie.

47.

Fœtus ratione præservatio instituì poterit, ut statim ab ortu tale quid propinetur quod affectui adversatur hæreditario, hinc est, ut ubi metus Epilepsiæ, in more habeant positum, recens editis infantulis exhibere aq. flor. tiliæ. Quia autem per diætam hic multum possumus, ideoq; lac nutricis ita poterimus quodammodo disponere, ut non modo sit boni alimenti, sed etiam quodammodo malo decertet.

48.

Eligatur ergo *nutrix boni corporis habitûs, quæque bona utatur victûs ratione*. Ea si forsan tempore lactationis iterum imprægnetur, statim ab opere isto abigenda. A Venereis cogitationibus, quantum fieri potest, imprimis si metus sit morbi gallici,

ab ira & jurgijs si metus sit epilepsiæ plane sit immunis: Bibat de nodulo in quo sassafras, sarsaparigl: fœniculum, Rad: & Sem: pæoniæ, &c. mecerata sint, Sed & illud observandum, ne sit morosa, sed infantem ita tractet, ne multum vagiat, sicq; metus hæreditariæ phtyseos fascijs pectus non arctius constringat. Et sic in alijs.

49.

Et tale etiam est consilium *Mercati*, si præcautionis, inquit, gratia filios curare libuerit, ne filios quoq; suos eadem labe fœdent, id alimentis â teneris annis facito, & eo tempore appositis etiam parti præsidijs juxta naturam partis in qua scimus patrem fœdatum esse. Quæ sane auxilia vel resolvant innatam parti substantiam, vel exsiccent, vel substantificè humectent, velut affectus ipse futurus postulasset si actu extitisset. *Hæc Mercatus.*

50.

Ex jam dictis ferè jam patet cura etiam morbi hæreditarij, seu *indicatio curativa*. Considerantur enim morbi ejusmodi quatenus existunt, ut si ex patre characterem sortito vel morbo actu laborante filij nascantur actu quoq; afflicti, ut quando vari, surdi, muti, &c. procreantur, omninò id quod flexuosum est fascijs ad rectum deducendum, & alia vitia emendanda prout ars & affectûs natura postulant, *ita tamen ut lentius ac morosius, quàm in quovis alio affectu rem persequamur.*

51.

Imprimis vero vitanda in cibo & potu, Item in conversatione, in affectibus corporis, in loco habita-

habitationis, in âere & reliquis rebus sex non naturalibus omnia quæ vel ansam huic malo, quod metuit, præbere poterunt. Sed & vires attendendæ ne vel copia humorum, & ingestorum opprimantur, vel motu, defatigatione, evacuatione nimia &c. dissipentur. *In summâ, iis omnibus danda opera, ut characterem simul oppugnare, naturam vero ita confirmare queamus, ut medicamentis & alimentis appropriatis opem ferre ipsa possit. Quò indicationi etiam vitali satis fiat.*

Hæc sunt quæ levi stylo de morbo hæreditario proponere Libuit, non eum in finem ut sufficientissima fiat tractatio, ea n. disputationis limites excessisset, sed ut veritas saltem atq; aditus ad locupletiorem quandoq; tractationem præparetur.

PARADOXA PHYSICO MEDICA

1.

QVatuor à Medicis proponuntur Facultates ministræ: nim: Attractrix, Retentrix, concoctrix, Expultrix. Non male addenda videtur quam, discretricem vel secretricem quis nominare queat, idq; quia 1. Ejus formalis cõceptus ab aliis est distinctus 2. quia finis diversus. 3. quia operandi modus diversus 4. quia instrumenta diversa.

2. Huic

2.

Huic, nim: quintæ Facultati aſcribendæ videntur fibræ obliquæ quæ aliàs retentrici aſſcribuntur, retinere n. iſtæ non poſſunt ut potiusexpellant prout oſtendit *Fallopius obs: anat: p. 442.* Retentrici v. ſubſtituendæ valvulæ, rugæ, ſpincteres &c:

3.

Facultas hæc, quæ imprimis conſpicua in ventriculo, ſi non rectè agat cauſa eſſe videtur, ob quam arthritis, calculus & id genus morbi oriuntur, dum n non bona fit ſegregatio utilium ab inutilibus, minera tarrari quæ in cibis etiam eſt, ut probat appoſitè *Theophr: Paracelſus tract: de morbis tartareis* non perfectè ad excrementa relegatur, ſed non deſtructo concreſcendi archeô hepar ac totam maſſam ſangvinem permeat, ubi ad renes vel articulos, protruſa materia ad fixitatem ultrò tendit.

4.

Chorea S. viti, qualis affectus etiam iis, qui â tarantula morſi ſunt, accidit, â ratione humana vix cauſam continentem habet exploratam; ſi quid tamen in hac imbecillitate dicendum, videtur cauſa eſſe Ebullitio ſpirituum ſicut enim videmus in ira, in gaudio, factâ aliqua ebullitione corpus inordinatius moveri, ita etiam judicandum de hoc affectu.

5. Et

5.

Et sanè Ejusmodi ebullitionem levi admistâ materia posse fieri, ostendit ipsa chymia, non secus enim ac videmus exterius, quando oleum vitrioli ad oleum tartari admiscetur, vel ubi acetum ad oculos cancri affunditur &c. maximam fieri ebullitionem, ut etiam destillatio sine igne in mensâ peragi possit. Quidni igitur idem procedere queat in spiritibus qui sunt per se subtilissimi & agilissimi, ubi materia occultæ qualitatis appellens facillime sese insinuare ac ebullitionem insignem excitare poterit, ut & spiritus malignitatem magis magisq; q. fermentatione quadam contrahant, & corpus, nisi auxilium feraturè, miserè exagitent. In nostram ferè sententiam abire videtur Clarissimus *Sennertus Instit: l. 2. p. 3. sect: 2. c. 4.* ubi inquit: Verùm ratiotinatione, ac imaginatione depravatâ in hunc insanum, & perversum saltandi affectum feruntur: quo forsan aliquid etiam facit humoris fervor, corpus stimulans, & quasi titillans Hactenus igitur de τῶ διότι.

6.

Causæ ὅτι quod attinet probari posse videtur quod ostendit I. Saltatio ipsa quæ omnino præsupponit spirituum concitationem, quale quid videmus

videmus in gaudio &c. II. ὀργασμὸς, scil: ut habet *Sennertus l.1.praxi p. 2. c. 17.* quando hoc affectu laborantes virgines partes obscoenas ostendunt, crines sibi evellunt &c. ex *epiphanio Ferdin:* ὀργᾶν enim tanslatum est ab animalibus concubitum appetentibus ad humores, quod docet *Galenus comm: 1. aphor: 22 Hippocr:* III. Ipsa cura, nim: Musica, quæ sistit spiritus ac q. ad quietem consopit, hinc svadent Medici in vigiliis susurros, gutturniorum stillicidia, & Saulum commotum Musicâ Davidis fuisse placatum in sacris legimus.

DEO TRIVNO SIT LAVS
ET PERENNIS
GLORIA

